58432





CONCLUSIONES.
EX
UNIVERSA LOGICA
ET
METAPHYSICA.
EX
LOGICA.



ETsi de futuris ſcientia non detur, tamen propoſitiones ſingulares de futuris contingentibus ſunt in ſe determinatè veræ, vel falſæ.

EX METAPHYSICA

I. Metaphyſica eſt ſcientia univerſalium, ſeu diſciplina, in qua notiones univerſales & communes diſtinctè explicantur.

II. Complectitur autem has diſciplinas, Ontologiam, Ætiologiam, Coſmologiam, Pſychologiam, & Theologiam naturalem.

EX.

EX ONTOLOGIA

I Ontologia est scientia entis in genere, seu quatenus ens est Ens autem est id, quod est possibile, seu aptum existere.

II . Possibile quod Contradictione caret, seu qaod habet prædicata sociabilia, atq; adeó aliud est præter virtutem causæ.

III. Prædicata sociabilia, per quæ res hæc est, & non alia, seu quæ in ente primó concipiuntur, & in quibus ,ratio continetur sufficiens, cur cætera vel actu insint, vel inesse possint vocatur essentia.

IIII Per existentiam intelligunt Philosophi complementum essentiæ, seu id per quod ens denominatur existens, & hæc nihil aliud est, quam ipsa essentia jam producta

V. Quæ porrò enti insunt, & de eo prædicantur, entis affectiones vocantur

VI. Earum si ratio continetur in ipsa rei essentia, dicuntur attributa, si non continetur modi.

VII, Modi non sunt entitates, ut plerique existimarunt, sed est pura relatio. purus entis respectus.

VIII. Et ab ente distingvuntur distinctione non entitativa sed modali

IX Ens veró unum ab altero distingvitur distinctione reali.

X. At idem ens etsi multiplici cognitione attingi possit, ejus tamen attributa ita sunt unita. ut neque distinctione formali ex natura rei, neque distinctione virtuali, sed sóla ratione, seu distinctione rationis distingvantur.

XI Unde porro ens denominatur subsistens, non ab entitate aliqua, hæc enim & frustranea est & explicari non potest; non ab existentia, quia subsistere, & existere non est idem.

XII Totalitas ergo substantiæ singularis non unitæ perfectiori; seu complexio perfectiônum, quas habere potest, denominat rem subsistentem.

EX ÆTIOLOGIA.

I. Causæ creatæ veré ac proprié agunt

II, Tamen neque virtus creatrix.

III. Neque eductiva qualem illis tribuebant Peripatetici competit, ut veró producat effectum, debet.

IIII. Ipsa existere physicé eo instanti quo producit·

V. Debet esse distincta ab effectu, cum nihil se ipsum producere possit.

VI. Neque simul dare, simulque á causa eodem instanti accipere esse potest.

VII. Et cum causæ agant in subjecto, debent esse eidem applicatæ, vel substantia, vel virtute sua·

VIII. Actio porro per quam causæ agere dicuntur, non est entitas quædam modalis, sed hæc denominatio agentis oritur ab actu primo proximo & effectu.

I.

EX COSMOLOGIA.

I. IN mundo perfectus est entium nexus, atque adeó mundus est in suo genere opus perfectum.
II. Nobis porro non aliter est sensibilis, nisi per qualitates, quæ
III. Non sunt entitates quædam absolutæ, quem admodum plerique existimant, sed,
IIII Corpora sunt sensibilia per modificationes, seu moleculas certo motu, figura prædita, inquantum hæ commovent nervos organa componentes, atq; sic occasionem animæ præbent perceptionis, quæ appellatur sensatio.
V. Mundus non est æternus, ut existimavit Aristoteles, sed in tempore est conditus
VI. Per tempus intelligimus ipsam existentiam rerum continuatam, seu ordinem successivæ rerum saltem possibilium existentiæ.
VII. Durati em explicamus per relationem distantiæ, vel à prima solis revolu, tione vel à determinata parte cujusdam externi temporis, si non realis altem possibilis
VIII. Locus est ordo simultaneorum, quatenus existunt actu vel potentiâ.
XI. Nullum corpus potest esse naturaliter in eodem loco cum altero corpore potest tamen per Divinam potentiam, quemadmodum,
X. Potest esse etiam per miraculum, tam substantia corporea, quam spiritualis in pluribus locis, non autem naturaliter.
XI. Infinitum Cathegorematicum ut vocant, non solum non extare, verum neque posse produci, tam quo ad numerum, quâm quo ad quantitatem, probabiliter sustinemus

EX PNEUMATOLOGIA. DE NATURA ANIMÆ RATIONALIS.

I. EXtat in nobis substantia à materia diversa, quæ tamen cùm corpore organico ex lege autoris naturæ consociatur ad hominem constituendum.
II. Contra Epicureos & Libertinos animam immortalem esse, firmissimis rationibus comprobari posse asserimus.

DE ORIGINE ANIMÆ.

I. MEns hominis neque est pars animæ universi.
II. Neque fuit creata initio temporis, atque ob pænam inclusa corpori.
III. Neque inclusa organicis corpusculis delitescit.
IIII. Neque fit per traducem.
V. Sed creatur à DEO quando habetur ea partium organicarum dispositio, quæ sufficiat ad obeundas vitæ functiones.
VI. Unio animæ cum corpore consistit in actu primo proximo requisito ad operationes eliciendas.

I.

DE COMMERCIO ANIMÆ ET CORPORIS.

I. COmmercium inter mentem & corpus, non rité explicatur in Systemmate assistentiæ seu causarum occasionalium.

II. Nequé in Systemmate harmoniæ præstabilitæ.

III. Systema tamen dependentiæ, seu influxus Physici praelegimus.

DE PRIMIS NOTIONIBUS FACULTATUM ANIMÆ AC EIUSDEM SEDE.

I. NUlla adferri potest ratio qua diffusio animi per totum corpus evincatur, imo sedem mentis, seu commune sensorium probabilius censemus esse partem callosam cerebri, quæ ad omnes corporis partes, nervos emittit. ut ex anatomia constat

II. Sensus veró, est perceptio animæ, orta occasione impressionis, in externa sensuum organa, ab objectorum externorum contactu factæ. & per nervos certa ratione tensos ad commune sensorium, seu cerebrum propagatæ.

III. Vigilia oritur, à sufficiente spirituum vitalium copia & motione ita, ut non solum in sensorio communi sit mediocris huius fluidi quantitas, sed & in ipsis nervorum tubulis, quibus sensoria privata communicant cum sensorio communi.

IIII. Somnus veró consistit in minore fluidi copia, tam in cerebro, quam in nervis, ut adeo valida in organis sit opus impressione, ad excitandam in mente perceptionē

EX THEOLOGIA NATURALI.

I. EXistit Substantia necessaria omnique perfectione gaudens, scilicet,

II. Una simplex & immûtabilis.

III. Immensa, æterna, Omniscia, Omnipotens, & hac sua virtute omnipôtenti creavit universa

V, Ad omnes quoqué actiones creaturarum immediaté concurrit. non tamen

VI. Præmotione physica causas liberas prædeterminat.

Ad

M. D: G: B. V: M: S: L: O: C: H.



Propugnabuntur publicé in Gymnasio Collegii Varsaviensis Societatis JESU. Præside RP: Joanne Bohomolec AA. LL: & Philosophiæ Doctore atque Professore. Anno a Partu Virginis 1763. Die Novembris.